

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



43
DISPUTATIO ACADEMICA
De
SCIENTIA DEI
NATURALI SEU SIMPLICIS
INTELLIGENTIÆ.

Quam
FAVENTE DIVINO NUMINE
In florentissimo ad Salam Musarum emporio

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. JOH. CHRISTOPHORI

Hundeshausen / Logices ac Philosophiæ
Primæ Professoris Publici longe Celeberrimi,

*Dn. Patroni atq; Præceptoris sui ætatem
venerandi,*

Publicè defendendam suscipiet

ALBERTUS CALVÖRIUS,
Hildesienſis Saxo.

JENÆ,
Typis Samuelis Adolphi Mülleri
Anno M. DC. LXIX.

DISPUTATIO ACADEMICA
IN
SOCIETATE ACADEMICA
PUBBLICA
HABITA IN DIVINO NUMINE
IN THEATRINO ACADEMICO
DIE 10 FEBRUARII
VIRI DOCTISSIMI ET FACULTATISSIMI
DR. JOHANNES CHRISTOPH. PHILIPPI
PUBBLICUS PROFESSOR LOGICAE ET PHILOSOPHIAE
DR. JOHANNES PHILIPPI
PUBBLICUS PROFESSOR LOGICAE ET PHILOSOPHIAE
ALBERTINUS CALVÖRNER





DISPUTATIO
DE
SCIENTIA DEI NATU-
RALI SEU SIMPLICIS
INTELLIGENTIÆ.

§. I.

BONO CUM DEO.



DEUM tribus modis ubique esse
cuilibet patere iudico. Nimirum:
1. *per Essentiam*, quâ suâ substantiâ
immensâ & infinitâ omnia replet,
tum, quæ intra hujus universi am-
bitum continentur, tum quæ extra
hunc mundum concipi possunt. 2.
per potentiam, quâ nempe omnia suâ operatione at-
tingere valet. 3. *per cognitionem*, quâ ubique esse dici-
tur, ubicunq; est objectum, quod cognoscit & cogno-
sci potest. Qui ubiquitatis modus ab iis, qui præce-
dunt, diversissimus est. Nam si per impossibile DEUS
per essentiam omnibus rebus adesset, uti *Vorstius*, nec
circa omnes operaretur, uti *Durandus* putavit, modò
infinitâ polleret scientiâ, uti pollet, adhuc ratione so-
lius cognitionis omnibus rebus adesse dici posset.

§. 2. Qui præsentia per cognitionem modus
ut eò melius intelligatur, sciendum, quod duo vel

A 2

plura,

plura, licet simul existant & etiam locò diffita non sint, sibi tamen invicem præsentia dici non possint, nisi unum eorum sit cognoscens & vel videat oculò vel cognoscat intellectu cœtera: idque ex communi loquendi usu patet, atque exemplis potest ostendi nonnullis. Quis enim plures lapides eòdem locò positos, sibi invicem præsentem, aut etiam locò diffitos, absentes à se invicem vocaverit? adeò hoc ab usu Lingvæ abhorret, ut etiam non facilè sit, qui parietem, proximum *Cajo*, qui tamen potentiâ cognoscendi præditus est, ipsi præsentem dicat, nisi eum actu agnoscat. Unde *Latinissimis* præsens idem est, quod arbiter, testis inspectans: *præsentia* autem idem, quod conspectus, aspectus. Ut ita dicitur demum paries *Cajo*, vel *Cajus* parieti præsens dici queat, quum eum inspicit vel agnoscit.

§. 3. Quin & fieri potest, ut, si plures quidem sint in eòdem locò conjuncti, qui omnes cognoscendi vi polleant, cum per sensum, tum per intellectum, & aliis dormientibus alii rixentur inter se, vel etiam contrahant, utut simul sint & coexistant in eòdem locò, illi tamen non possunt haberi pro præsentibus, neque hi dici, in ipsorum præsentia vel coràm ipsis hæc fecisse. Unicè, quia illi non adverterunt ad horum gesta, neque ea cognoverunt. Unde si in forò, si qui litigent inter se coràm judice & judex vel non sanæ mentis sit, vel dormiat atque ita ad merita causæ non attendat neque judex præsens esse dici potest, neque litigantes in præsentia ejus contendere judiciò, quod in jure definitum forsan est. De Philippo Macedonum Rege narrant, quod cum pro tribunali sederet, causam *Macheta* cujusdam cogniturus, & hóc causam suam
peror

perorante, interim ille interdum obdormisceret, atque
uri conjectu facile est, momentum rei non cognovit,
pronunciavit tamen expergefactus sententiam, sed
injustam, hoc non ferens *Machates*, quod Rex non
fuiſſet præſens & ita in abſentiâ ſuâ cauſam non co-
gnoverit, proteſtatur, & *appello*, inquit, *ab hac ſenten-*
tiâ. Rex indignabundus, ad quem, *ait*, appellabis.
Subjicit ille à te abſente ad te præſentem, ſi nempe ex-
perrectus cauſam meam attentius expendas. Rex ta-
citam correctionem æquò ferens animò, deprehensâ
ſententiæ iniquitate, judicata quidem non reſcudit,
pecuniam tamen, quò damnaverat *Machaten*, non
minùs ac ſi ſemet damnafſet, ipſe perſolvit.

§. 4. Porrò notandum, quod potentia cog-
niti-
ua, vel ut alii loquuntur, cognoſcitiva & objectum
ejus, poſſint ſibi invicem præſentia dici tum quidem,
quum potentia objectum actu cognoſcit; licet inte-
reâ quoad rem non exiſtant ſimul, ſed vel longiſſimè
locis ſint diſſita. Hoc de intellectuâli veriſſimum eſt:
tantum ſenſitiva requirit realem objecti ſui præſenti-
am, ad hoc, ut illud cognoſcere poſſit: neque enim
oculus percipit colorem, niſi eum in conſpectu ha-
beat & realiter præſentem. Quoad cognitionem in-
tellectualem non eſt ita neceſſarium; objectum enim
intellectus poteſt terminare cognitionem ejus, quan-
tumvis realiter neque ſit præſens, neque etiam exi-
ſtens, uti videmus in DEO, cujus cognitionem termi-
nant creaturæ, etiam antequam exiſtant. & in Angelò,
cujus viſionem terminant res, procul ab eò diſtantes.
Quem loquendi modum *Episcopus Hipponenſis* appro-
bavit Epist. 112. c. 3. his verbis: *planè inquit, forſan ſa-*
vis eſt, ſi præſentia hòc locò intelligamus, qua præſtò ſunt
ſenſibus

sensibus sive animi sive corporis: Unde etiam dicto vocabulo presentia nominentur, quasi à præ & sentio. Nec est, cur quispiam hunc presentia modum & inde ortam loquendi formam rejicere velit; præterquam enim quod Physicis nihil fermè frequentius est, si de potentiis cognitivis earumque objectis agunt, quàm ut ad eliciendam cognitionem dicant requiri presentiam objecti, exempla etiam utriusque Scriptura S. suppeditat, quæ adferre possemus, nisi chartæ ratio nosmet properare juberet.

§. 5. Jam ut ad rem redeamus, dicimus DEUM omnibus rebus presentem esse presentia cognitionis & scientiæ. Nam omnia intuetur & novit, quæ sunt, fiunt ac futura sunt, ipsas quoque cogitationes cordis nostri, idque unò & continuò visionis actu. Hinc tale propullulat argumentum.

Qui omnia videt ac novit, quæ sunt, fiunt & futura sunt, & ipsas quoque cogitationes cordis nostri intuetur, idque unò & continuò visionis actu: ille omnibus rebus presens est presentia cognitionis. DEUS omnia videt & novit, quæ sunt, fiunt ac futura sunt, & ipsas quoque cogitationes cordis nostri intuetur, idque unò & continuò visionis actu. Ergò DEUS omnibus rebus presens est presentia cognitionis.

Major paret ex modò dictis: cognoscens enim & objectum cognitum per actualem cognitionem sunt sibi invicem presentia, & eadem est ratio videntis & objecti visi: videns enim & cognoscens impresentiarum retrò comitant. Minor probatur exinde, quia naturalis ratio demonstrat, omnem perfectionem simpliciter simplicem DEO esse tribuendam; Sed scientia
DEI

DEI de creaturis est perfectio simpliciter simplex, nihil enim habet imperfectionis admixtum; Ergo scientia de Creaturis DEO erit tribuenda.

§. 6. Nec juvat quosdam, si in scientiâ illâ DEI de creaturis includi dicant dependentiam ejus à creaturis quæ utique imperfectio cum sit, impediatur, quò minus scientia illa dici possit perfectio simpliciter simplex. Nam si vel maximè dependentiam illam in scientiâ DEI includi concedamus; nullam tamen imperfectionem dicit, DEI scientiam dependere à possibilitate creaturarum, tanquam à terminò, quemadmodum nullam dicit, quod ejus omnipotentia à non-repugnantia rerum, tanquam à terminò, pendeat. At vero negare possumus, scientiam DEI quoad entitatem à creaturis pendere, ceu facit Vasquez, ut nihilominus persistet, quod eas habeat pro terminò, ex suppositione quod sint, vel esse possint.

§. 7. Jam pro diversâ objectorum consideratione Scientia DEI diversis insignitur nominibus. Nam respectu objecti, quod realiter vel fuit, vel est vel erit, dicitur Scientia *Visionis*: at verò respectu objecti, quod quidem in potentiâ est vel DEI vel creaturæ, realiter autem nec fuit, nec est, nec erit, dicitur scientia simplicis intelligentiæ. Thomas p. 1. q. 14. art. 8. hæc de re ita philosophatur:

Quædam licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt vel erunt: omnia ista dicitur DEUS scire scientiâ visionis: quia cum intelligere DEI, quod est ejus esse, aternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus fertur in totum tempus & in omnia, quæ sunt in quocunque tempore, sicut in subjectum sibi præsen.

*praesentialiter. Quaedam verò sunt, quae sunt in potē-
tiā DEI vel creatura, quae tamen nec sunt, nec fue-
runt, nec erunt; & respectu horum non dicitur ha-
bere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae,
quod ideo dicitur, quia ea, quae videntur apud eos,
habent esse distinctum extra videntem. Hae Tho-
mas.*

§. 8. Eadem scientia DEI, etsi in re una & sim-
plex sit, imò idem quid cum essentiā DEI, respectu ta-
men objecti secundarii distingvi solet à Theologis
Scholasticis tripliciter: Nam primò cum DEUS ab æ-
ternò novit, non tantum quæ conditurus aliquando
erat, sed etiam quicquid in universum condere, si vel-
let, posset, id est, non solum res, quæ sunt, fuerunt vel
futuræ sunt, sed etiam, quicquid possibile est esse,
scientia illa DEI *naturalis* appellatur. Vocatur
Naturalis non ideo, quia est ipsa *natura* & essentia
DEI, sic enim omnis scientia DEI esset *naturalis*, cum
quævis scientia, quæ DEO tribuitur, quoad entitatem
suam spectata, sit ipsa DEI essentia; sed *naturale* h. l.
opponitur *libero*, & sicut aliàs potentia *naturalis* dici-
tur, quæ positis omnibus & iisdem requisitis ad agen-
dum non potest non agere: Ita scientia DEI *naturalis*
dicitur, quia DEUS per eam res possibles *necessariò*
cognoscit: sicut enim res *necessariò* sunt possibles:
ita *necessariò* ex perfectione divini intellectus fluit,
ut eas cognoscat.

§. 9. Deinceps Scientia, quæ cognoscit res, ut
in aliquâ differentiâ temporis existunt, id est, vel exi-
terunt aliquando, vel nunc existunt, vel extiturræ sunt,
scientia *libera* (vel *Visionis*) appellatur. Sicut enim a-
liàs potentia *libera* dicitur, quæ positis omnibus re-
quisitis

quisitis ad agendum potest agere & non agere, agere hoc & agere illud: ita scientia DEI libera sic dicitur, quia per eam DEUS res cognoscit, ut easdem potuerit etiam non cognoscere. Nam si decrevisset easdem non producere, aut ad eas non concurrere, sicut eas producere decrevit; futuræ non fuissent, adeoque sub ratione futurorum cognitæ à DEO non fuissent. Potuerunt ergò præsciri tanquam futuræ & non præsciri, & DEUS potuit eas præscire & non præscire.

§. 10. Tertiò denique Scientia, quæ DEUS cognoscit, quæ absolutè quidem futura non sunt, sed futura sint, si hoc vel illud fiat, quod tamen sæpe non fit, media dicitur seu conditionata, quia versatur non circa absolutè futura, sed saltem cum conditione, ita, ut futura demum sint dicenda, si conditio ponatur, e. gr. DEUS ab æternò cognovit, mundum esse possibilem; fuit hæc Scientia naturalis seu simplicis intelligentiæ: Porrò cognovit, mundum non tantum esse possibilem, sed & futurum; Fuit igitur hæc Scientia libera seu Visionis quæ scientiâ cognoscit etiam mundum, ut jam existit & post ejus destructionem cognosset eum non existere. *Media Scientiæ Exempla ex Sacro Codice depromi possunt: sic Matth. 11. v. 21. Salvator ait: va tibi Chorazin, va tibi Bethsaidan, quoniam si in urbe Tyri & Sidonis facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœnitentiam e-gissent.* Hic Salvator cognovit Tyriorum & Sidoniorum pœnitentiam, quæ futura fuisset, si conditio fuisset posita, si scilicet tanta signa, quanta tempore Christi fiebant, apud ipsos facta fuissent.

§. 11. Hæc scientia ideò dicitur *Media*, quia media est inter naturalem & liberam DEI scientiam,

B

dum

dum nec ad naturalem planè nec ad liberam referrì potest. Nam sicut libera est rerum futurarum: ita & media versatur circa futura saltem sub conditione: sicut autem naturalis antecedit omne decretum DEI liberum, saltem quoad nostrum concipiendi modum, versatur enim circa res possibiles, circa quas, ut tales sunt, nullum datur decretum divinum: ita & media DEI Scientia est ante liberum DEI decretum. Ex quibus non potest non patere, quomodo *media* DEI Scientia à *Naturali* differat; nam *Naturalis* est rerum possibilium; *Media* verò futurarum, saltem *sub conditione*. Sic differt etiam *Media Scientia* à *Liberâ*: Libera enim est absolutè futurorum; media verò est eorum, quæ cum conditione sunt futura.

§. 12. In hâc Scientiâ DEI ad tria cum primis habendus est respectus: (1.) ad ipsam essentiam divinam (2.) ad respectum, quem essentia divina habet ad objectum (3.) ad ipsum objectum hujus Scientiæ. Quod ad primum attinet, dicendum, quod Scientia, quæ datur in DEO realiter identificetur cum ipso, ceu docuit Aristoteles l. 12. Met. c. 9. quem in hoc sequuntur *Patres & Peripatetici*, omnes ex hâc ratione: quia DEO dari debet maxima perfectio, quæ potest esse: maxima autem perfectio est, ut per suam essentiam res cognoscat, & non per aliquid à se distinctum. Ergo hæc DEO dari debet. Quod exinde confirmatur: Si enim DEUS cognosceret res per aliquid à se distinctum, tunc haberet se per modum subjecti perfectibilis, quod nempe per Scientiam accidentaliter possit perfici: Sed repugnat, DEUM se habere per modum subjecti perfectibilis, quod per scientiam accidentaliter possit perfici. Ergo etiam repugnat, DEUM cognosce-

gnosceret res per aliquid à se distinctum. Si autem DEUS essentialiter est suus intelligendi actus, apertè constat, in ipsò realiter, nec potentiam cognoscendi esse, nec habitum, neque etiam speciem impressam; nam hæc omnia realem sui distinctionem ab actuali cognitione requirunt. Unde si accidat, ut DEUS dicatur actus secundus intellectivus non id accipiendum est, ac si propriè in eò actus secundus sit, realiter proveniens à primo, sed eatenus tantum, quatenus actualiter intelligit.

§. 13. Respectus, quem habet Scientia DEI naturalis ad objectum est maximè realis. Ipsum Objectum quod attinet, est illud POSSIBILE, quod appellationem suam nactum fuit à POTENTIA, ad quam dicit ordinem. Ea sicuti subjecto tribuit denominationem activam, ut ab ipsâ dicatur formaliter potens; ita objecto tribuit denominationem passivam, ut ab istâ dicatur formaliter *possibile*: nec diversa ratio hinc intercedit. Sed per quam rationem aliquid est alicujus potens, per eam illud est possibile; & quâ ratione agens potest aliquid facere, eadem ratione istud potest fieri: quia posse facere & posse fieri à parte rei sunt idem. Sic per quam potentiam ego possum intelligere objectum, per eandem potentiam objectum est intelligibile, propterea, quod me posse intelligere, & objectum à me posse intelligi, sunt à parte rei idem: sicut posse intelligere & esse intellectivum, ac posse intelligi & esse intelligibile, ne formaliter quidem differunt; & rursus, per quam potentiam ego possum videre colorè, per eandem color à me potest videri; Nam videre me colorè & à me videri colorem sunt realiter idem & ab eadem formâ. Ex quò, quum diversa ratio non sit,

B 2 rectè

rectè etiam inferimus, quod & potens & possibile ab eadem potentiâ denominationem capiant, sicuti enim color dicitur visibilis à visu vel potentiâ visivâ, & res intelligibilis ab intellectu vel potentiâ intellectivâ: ita quoque & eadem ratione possibile aut producibile à potentiâ productivâ denominatur.

§. 14. Potentia autem, quæ agenti *potenti*, objecto verò *possibili* denominationem tribuit in duplici differentiâ est. Naturalis una est, cujusmodi in creaturis, alia infinita, quæ à DEO datur, ac omnipotentia vocari solet: ideò possibile etiam aliquid duobus dicitur modis, vel in ordine ad potentiam physicam & finitam, vel in ordine ad omnipotentiam DEI. Quæ duo diligenter distingvenda esse, ex eò cum primis necessarium videtur, quod nisi hæc ob oculos habeamus, in proclivi sit, hæc in parte hallucinari: quippe *possibile* aliquid est, quod DEUS non potest, potest autem creatura: & ex adversò, aliquid possibile, quod DEUS potest, creatura non potest. Hic spectatur *possibile* in ordine ad potentiam DEI infinitam.

§. 15. Possibile in ordine ad potentiam finitam, potest appellari *possibile physicum*, & est id, quod in alicujus creaturæ potentiâ continetur. Possibile verò in ordine ad Omnipotentiam DEI vocari solet possibile *Logicum*, propterea, quod consistit in non-repugnantia essendi, quæ in secundâ mentis operatione potissimum cernitur, ad *Logicum* spectante. Sciendum autem, quod posse esse vel posse fieri creaturæ, antequam sit vel fiat, duobus modis considerari queat. (1.) *absolutè*, in se & absque ullò respectu. (2.) *respectivè* & in ordine ad potentiam DEI, à quâ potest produci & à quâ etiam denominationem possibilis accipit.

cipit. *Priori modo*, posse esse creaturæ, antequam fiat, consistit in non-repugantiâ, quæ in suo conceptu duo involvit, *unum*, quod res non sit, *alterum*, quod possit esse vel fieri, aut quod non implicet contradictionem ad hoc, ut sit vel fiat. *Posteriori modo* posse esse vel posse fieri creaturæ, antequam sit vel fiat, præterquam quod in tali non-repugantiâ quoque consistit, etiam connotat potentiam divinam, à quâ potest fieri & in cuius virtute continetur. Unde *possibile* ita acceptum in suo conceptu tria involvit, (1.) quod non sit, (2.) quod possit esse vel fieri à DEO.

§. 16. Hinc facile erit judicare, quidnam sentiendum sit de sententiâ *Bielis. q. 1. dist. XLIII. quæst. 2.* *possibilia* vocat, non quod ex se, antequam referantur ad omnipotentiam, sint *possibilia*, sed quatenus cum eâ comparantur. Nempe absurdum Gabrieli non videtur, possibile per potentiam & potentiam per possibile definiri, cum sint relata, quæ per se invicem definiri non possunt. Contra ergò sententiam Gabrielis tale torquemus argumentum:

Quicquid rationem suam formalem habet, antequam referatur ad alterum, id rationem suam formalem non exinde habet, quod ad aliud refertur. Atqui possibile habet rationem suam formalem, antequam referatur ad omnipotentiam. Ergò exinde quòd ad omnipotentiam refertur, non habet rationem possibilis.

Major patet. Minor inde probatur, quia cum quaero, cur hoc potius, quàm alterum sit possibile, ut per potentiam DEI producat, aliter responderi non potest, quàm quia hoc in se ita se habet, ut non involvat repugnantiam; alterum verò repugnantiam involvat.

volvatur. Ergò priùs, quàm aliquid referatur ad potentiam DEI, habet rationem formalem possibilis, quia scilicet in se, non involvit repugnantiam, ideò & per potentiam DEI producibile est.

§. 17. Quidnam autem formaliter sit illa non-repugnantia, in quâ possibile consistit, non omnes eodem modò explicant. *Svarez* putat esse quid negativum. Unde possibile, cujus ratio formalis in tali non-repugnantia est posita, vocat possibile *negativè*. *Mendoza* verò putat, esse conceptum quendam positivum, non meram negationem. Probabile videtur, quod mera negatio nō sit, idq; ex eò apparere videtur, quod repugnantia & non-repugnantia opponuntur contradictoriè: jam autem repugnantia negat: ergò non-repugnantia affirmat. Major patet: habet enim se, ut impossibile & non impossibile: sed hæc sunt contradictoria. Nam idem terminus semel affirmatus est, semel negatus: ergò illa etiam sunt contradictoria. Minor probatur; Nam repugnantia nihil aliud dicit, quàm unum à parte rei non posse esse aliud & formaliter in divisione vel negatione consistit, per quam unum ita removeretur ab alterò, ut non possit esse ipsum. Unde relinquitur, quod non-repugnantia dicat, rem unam posse esse alteram & in suo formali conceptu includat aptitudinem, per quam unum possit componi cum alterò. Sicut enim τὸ εἶναι ὅτι τὸ συγκείσθαι, καὶ εἶναι, τὸ μὴ εἶναι ὅτι τὸ μὴ συγκείσθαι, ἀλλὰ πλείω εἶναι, ut Aristoteles docet 9. *Metaphys. c. 12. esse est componi & esse unum, non esse non componi & esse plura*: ita posse esse est componi posse, & non posse esse est non componi posse: esse autem & componi possunt, quæ non repugnant. Ex quò liquet, quod repugnantia negationem, non-repugnantia adfirmationem

tionem includat. Per hoc tamen non adferitur, quod possibile de se consideratum & prius quam actu sit vel fiat à DEO, habeat veram realitatem vel entitatem in se, sed est *NON-ENS* simpliciter. Ratio hujus rei est; quia si *possibile* antequam sit vel fiat à DEO, sit Ens & habeat verum esse reale, tunc esse reale illud est vel creatum, vel increatum: creatum esse non potest, implicat enim aliquid esse creatum, antequam creetur; nec potest esse increatum, quia iterum implicat, aliquid increatum esse & independens, & tamen possibile, ut creetur; quicquid igitur realitatis habet antequam est vel producitur, illud omne habet in DEO, in cuius potentiâ continetur.

§. 18. Hujus ergò Scientiæ Naturalis adæquatam objectum erit **POSSIBILE**. Bifariam autem aliquid *possibile* appellari potest. (1.) dicitur aliquid *possibile huic vel illi* v. gr. creaturæ, quale *possibile* hanc simplicis notitiæ scientiam non exhaurit, sed habet se ad eam ut objectum inadæquatum: cum præter id, quod creaturæ est possibile, detur aliud, quod creaturæ potentiam non respicit. (2.) dicitur aliquid *possibile absolute*, & sic possibile vocatur illud, quò positò in actu nihil sequitur, quod sit impossibile. Sed neque hoc *possibile* propter latitudinem objectum adæquatam scientiæ divinæ, quæ *Naturalis* appellari solevit, esse potest. Nam objectum adæquatum est illud, quod potentiæ, quæ circa illud versatur, est æquale, ita, ut circa omne illud, quod sub eò continetur, potentia actum suum possit exercere; & vicissim, circa quod potentia suam actum exercere potest, sub eò contineatur. Porro Scientia simplicis intelligentiæ occupata est circa **POSSIBILIA** extra **DEUM**. Jam
possi-

possibile absolutè sic dictum & in hac latitudine sum-
tum non est objectum adæquatum Naturalis Scientiæ
DEI, quia non est huic Scientiæ æquale, sed latiùs pa-
tet, quàm scientia DEI naturalis, cum hæc versetur
tantum circa possibilia extra DEUM. Possibile au-
tem absolutè sic dictum & in suâ latitudine acceptum,
complectitur etiam ipsum DEUM.

§. 19. Quapropter *Possibile* dupliciter sumi no-
tatu dignum esse censeo (1.) prout opponitur *necessa-
rio & impossibili*, quâ ratione illud dicitur *possibile*,
quod potest esse & non esse; Necessarium enim, non
potest non esse: Impossibile verò prorsus non potest
esse, (2.) prout opponitur tantum *impossibili*, non ve-
rò *necessario*; nam posteriori hõc modò sumtum *pos-
sibile* sub se complectitur *necessarium*. Jam adserimus
objectum *scientiæ DEI Naturalis* esse possibile non
posteriori, sed priori modò sumtum, quò modò sub se
DEUM non comprehendit.

§. 20. Qua ratione autem hæc Possibilia à DEO
cognoscantur, non unò vivitur votò inter Scholasti-
cos. Thomas p. 1. q. 14. a. 5. l. 1. Contra Gentiles c.
48. 49. seqq. quem sequi dicuntur Capreolus, Cajeta-
nus, Ferraniensis; & Svarez p. 1. lib. 3. c. 2. statuere
non erubescunt, DEUM in seipsò tanquam in causâ
cognoscere creaturas posibles. Quam sententiam
variis incrustant argumentis.

§. 21. Dicunt (1.) quod hic cognoscendi mo-
dus sit perfectissimus, quod ex eò probare audent, quia
quò nobilius est medium, per quòd aliquid cognosci-
tur, eò etiam nobilior videtur esse cognoscendi mo-
dus. DEUS autem si per seipsum creaturas possibili-
les

les cognoscit, est nobilissimum medium. Resp. negando, quod cognitio illa semper sit perfectior, quæ fit per medium perfectius. Quod ut ostendatur, ponamus per causam æquivocam v. gr. per statuarium, qui effectu suo nobilior est, aliquem deduci in cognitionem effectus, nempe statuæ; alium verò effectum in se sine cognitione causæ considerare, quis horum nobiliorem habebit cognitionem? Non sanè is, qui per medium nobilius nempe causam tantum consideravit effectum. Verùm alter potius qui effectum, prout in se est, felicius paulò consideravit. Dicendum igitur, D E U M cognoscere res posibles prout in se sunt.

§. 22. Hic Svarez, qui hoc in negotiò omnibus viribus nobis renititur, responder, cognitionem per medium non tollere cognitionem directam rei in se, sed huic addere cognitionem per causam. Verùm si concedit Svarez, D E U M directè cognoscere possiblea prout in se sunt, quam ob causam dicit, D E U M cognoscere possiblea in suâ essentiâ tanquam in causâ? Si enim res, prout in se est, distinctè cognoscitur, quid opus est aliâ cognitione, nempe causæ? ubi regerit Svarez, ut perfectior fiat cognitio. Resp. Est petitio ejus, quod est in principiò; nondum enim evictum, rem perfectius cognosci, quando ejus causa tanquam perfectius quid cognoscitur. Deinde si vel maximè concedatur, D E U M cognoscere se tanquam causam in actu primò eorum, quæ sunt possiblea, non tamen sequitur, D E U M in se & suâ essentiâ tanquam causâ cognoscere possiblea, sed nostrò modo concipiendi primò cognoscere essentiâ tanquam

C

quam

quam causam, postea possibile. Qui cognoscendi
modus etiam nec rerum naturæ nec etiam DEO vi-
detur esse satis conveniens. Nam sicut possibile pri-
us in se est possibile, quàm referatur ad potentiam
DEI: ita prius in se est cognoscibile: magis igitur
probabile est, DEUM prius quoad nostrum concipi-
endi modum cognoscere possibile, prout in se est,
quod in se scilicet non involvat repugnantiam, & po-
stea, quod lateat in divinâ potentiâ, ab eâque posse
produci.

§. 23. Objiciunt (2.) Quia DEUM in seipsò,
tanquam in causâ cognoscere creaturas posibles
nō involvit repugantiâ, neque ostēdi potest impossi-
bile. Resp. nulla est sequela; etenim non sequitur:
non involvit repugnantiam, DEUM in seipsò res co-
gnoscere. E. in se ipsò cognoscit. Parili modò pro-
bare possum DEUM hodie creare novū cœlum, cum
hoc itidem non involvat repugnantiam, nec quod ex-
sequatur, impossibile ostēdi potest.

§. 24. Obclangunt (3.) Si DEUS seipsum
comprehensivè cognoscit, sequitur, quod in se agno-
scat etiam creaturas posibles. Antecedens est ve-
rum E. & consequens: Consequentiam probant,
quia hoc est signum comprehensionis causæ. Resp.
ad comprehensionem causæ non requiri, ut cogno-
scantur ejus effectus, sufficit enim si cognoscantur o-
mnia, quæ in causâ formaliter continentur. Ad hoc
igitur, ut DEUS seipsum cognoscat *comprehensivè*,
non requiritur, ut creaturas tanquam effectus in es-
sentiâ suâ divinâ cognoscat. Qua fuit, quod licet
DEUS, quando seipsum ut causam cognoscat, co-
gnoscat

gnoscat simul etiam creaturas, non statim sequatur,
DEUM creaturas in suâ essentiâ divinâ cognoscere,
cum simul seipsum & extra se creaturas possit cogno-
scere.

§. 25. Relinquitur ergò res posibles in se co-
gnosci à DEO, non verò in ipsò DEO tanquam in
causâ. Nam si DEUS cognoscit creaturas, ut sunt
in ipsò DEO, tanquam in causâ, sequitur, quod eas
propriè non cognoscat. Ratio est, quia propriè in
DEO non sunt, sed in DEO saltem est potentia, quâ
produci possunt. Unde si quicquam in se cognoscit,
quod ad præsens facit, cognoscet potentiam; quâ
produci possunt creaturæ posibles. Beca nus
in Theol. Scholast. p. I. tr. I. c. 10. 44.

Eximio atq; Literatissimo

DN.

ALBERTO CALVORIO,

Phil. & SS. Th. Cultori sedulo,

ob pietatem, sedulitatem atque can-
dorem omnibus recommendando,

Auditori & Amico suo dilecto

S. P. D.

Johannes Christophorus Hun-

deslagen / Prof. Publ. Ord.

Sic pergas; Jovamque colas, & coetera mun-
di

Spernas, OMNISCIVS præmia certa dabit.

Quàm



Quàm sit Theilogiae Cultori *nosse* JE-
HOVAM

Utile, quin omni, nae Tua scripta do-
cent,

Candide CALVÖRI! dum jam, quod SCIRE
Supremo

Competat, egregiè differis atque mones.
Quod *naturalis, media, atque Scientia Sim-*
plex

Sit tribuenda DEO, docta pagella dabit.
Gratulor hoc specimen pulcrum, quod
JOVA secundet,

Qvo cedat laudi, *suavis amice!* Tuae,
Vergat & in Patriae, qvin gaudia magna
TUORUM,


Et fructus capias, *Fautor amande!* bonos!

*Singularis favoris testandi ergo,
& Eximio atque Eruditissimo Dn.
CALVÖRIO gratulandi animo apponit
festinante calamo*

M. JOH. MICHAEL Schwimmer.

FINIS.







DISPUTATIO ACADEMICA
^{DE}
SCIENTIA DEI
NATURALI SEU SIMPLICIS
INTELLIGENTIÆ.

^{QUAM}
FAVENTE DIVINO NUMINE
In florentissimo ad Salam Musarum emporio

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. JOH. CHRISTOPHORI
Hundeshausen / Logices ac Philosophiæ
Primæ Professoris Publici longe Celeberrimi,

*Dn. Patroni atq; Præceptoris sui ætatem
venerandi,*

Publicè defendendam suscipiet

ALBERTUS CALVORIUS,
Hildesienfis Saxo.

JENÆ,
Typis Samuelis Adolphi Mülleri
Anno M. DC. LXIX.